



IOANNIS ADOLPHI
WEDELII,

PHILOSOPH ET MEDIC. DOCTORIS, PROFESSORIS
PVBLICI ORDIN. ET MED. DVC. PROV. SAXO-
VINAR. AC IENENSIS REP. PHYS.

FACVLTATIS MEDICÆ
h.t. DECANI,

Propempticon Inaugurale
DE
VALVVLA VENÆ SVBCLA-
VIÆ DVCTVI THORACICO
IMPOSITA.

I E N Æ,
LITTERIS KREBSIANIS.



I. N. I



ulta in variis reperiuntur disciplinis,
quæ speciem habent veritatis, & a
quamplurimis probantur, a veritate
tamen aliena sunt. Maxime id si-
eri solet in iis, quæ ex affinibus tran-
sumuntur scientiis, minus autem de-
bito modo applicantur.

Quanquam vero & utile & ne-
cessarium sit, vndique colligere, quæ ad explanandam
faciunt rem, hæc tamen & per se recte se habere, & con-
cinne iterum adhiberi debent: vnum horum si absit, a
veritatis tramite receditur.

Haud pauca hodie ex mechanicis in medicina adse-
runtur, quæ tam a mechanica, quam medicina, recedunt
longissime, atque in nulla harum locum habere possunt.
Patet id ex pororum ratione figuræ adducta diuersitate,
pro ostendenda secretione animali; patet ex canalium
ratione curuitatis, distantia a principio mouente, & an-
gulorum, allata varia constitutione pro demonstranda ve-
locitate liquoris vesti diuersa, quæ omnia, aliter se habere,
alibi ostensa sunt.

Iam

Iam succurrit valuulæ in vena subclavia insertioni ductus thoracici impositæ vsus, quæ a plerisque ideo data creditur, vt claudat ductum thoracicum, ne sanguis intrare possit. Minime autem huius rei gratia hanc fabricatam esse, plura euincunt, quæ iam paucis delibare, opera prerium duximus.

Ante omnia animaduertere debemus, ita constructum esse ductum thoracicum, vt ex vena subclavia nullus in eum sanguis intrare valeat, si vel maxime hæc valuula abesset. Nam in ipso ductu thoracico valuulæ sufficienti copia sitæ sunt, quæ motum fluidi contenti ita dirigunt, vt tantum superiora versus, minime autem contraria ratione, in hoc moueri possit.

Genuinus enim valuularum vsus est, ne fluidum in canali contentum vltro citroque, sed versus vnam tantum loci differentiam, moueri queat, vnde in canalibus valuulis instructis nunquam retrocedere potest liquor, sed, mouente accidente, vltterius progreedi cogitur.

Chylus itaque vel lympha licet in ductu thoracico hæreat, minime descendere valet, resistentibus valuulis, multo minus sanguis, extra eum hærens, motu contrario in canalem hunc penetrare potest, & si hoc quoque fieri posset, nullo modo vltra primas occurrentes vauulas abiret.

Sed & nec hoc contingere, repletio ductus thoracici perpetua, a chylo vel lympha facta, ostendit. Vas enim quodcumque fluido repletum aliud fluidum haud admittit, nisi illud vel exeat vel comprimatur, alias enim daretur penetratio dimensionum. Neutrum vero horum

):(2 eue-

erenire potest, cum & angustia canalis & liquorum horum conditio haud admittat.

Sin etiam fingamus, nullum hærente in ductu thoracico humorem, ne tamen sic quidem sanguis impelletur, cum nec aer inibi contentus possit inferiora versus cedere. Hinc & in cadaueribus, si vel maxime remota illa valuula in subclauiam venam per siphonem liquorum infundas, minime in ductum thoracicum abibit, ob dictas causas. Obstat præterea continuus chyli vel lymphæ ex ductu thoracico in venam subclauiam effluxus, vt hinc, si vel micula sanguinis intraret, statim iterum cum chylo vel lymphâ effunderetur.

Porro positus valuula huius talis non est, vt ingressum sanguinis sufficienter possit impedire, si alias ductus thoracici conditio admitteret. Nam si sanguis tantum ex remotoribus partibus huc accederet, sufficere quidem situs valuulae, vt clauderet thoracici ductus orificium, sed auricula cordis se contrahente cum sanguis simul versus hanc valuulam urgetur, vt eleuetur, adeoque orificium ductus thoracici liberum reddatur, vsus hic tunc cessat, & sanguis tamen illuc transiret, nisi ante dicto modo id prohibitum esset.

Cum itaque verus hic valuula dictæ vsus non sit, investigandum est, quidnam præstet, quod sponte patet, si attendamus, huic sociam adstare valuulam similem, ut coniunctione claudant venæ subclavie cavitatem & impen- diant, ne sanguis, in auriculam cordis dextram infusus, per hanc viam retrocedat, si illa contrahitur.

Minime hinc differt hæc valuula a reliquis in venis reperiundis, sed eandem qb causam adposita est, yt sanguis

guinis motum in vena versus eandem loci differentiam
dirigat, contrarium vero infringat.

Hæc præfari voluimus occasione Disputationis Inau-
guralis de STERILITATE Clarissimi

Io. CHRISTIANI SCHNITTERI, Médicinæ Doctorandi dignissimi.

Natus est Zittauiæ, Hexapoli Lusatia; anno
M DC LXXXVIII. Calend. Septembr. Parentibus ho-
nestissimis, IOANNE GEORGIO SCHNITTERO, & Matre,
ANNA IVELIANA MICHAELIA.

Hi optimi parentes filium a puerò ad omne pietatis &
humanitatis studium sedulo manuduxerunt, quamuis Pa-
ter suauissimus iusto citius anno M DCXCV. fatis cede-
ret, cuius partes suscepit IOANNES MELCHIOR RICHTERVS,
ciuis itidem Zittauiensis spectatus & officiis Patrum Con-
scriptorum ibidem meritus, Vitricus eius dilectissimus.
Hinc primitus informationi priuatæ ADAMI ROEDERI, t. t.
alumni gymnasii Zittauiensis, nunc Rectoris scholæ Quer-
furtensis præclarissimi & bene meriti, deinde præclarissimi
M. ADAMI ERDMANNI MIRI, Correctoris Zittauiensis
laudatissimi, demandatus est, quorum utrumque indu-
stria fidelitatem adhuc celebrat. Postea gymnasii ipsius
præceptoribus perquam clarissimis usus est, CHRISTIANI
enim WEISII, Rectoris t. t. meritissimi, ante lauda-
ti MIRI, & IOACHIMI CURTII, lectiones publi-
cas, priorumque, priuatas frequentauit, insigni studio-
rum suorum emolumento, quo de hodiernum sibi
gratulatur. Ibidem etiam, cum animus eius subinde
ad studium inclinaret medicum, nonnulla solidæ erudi-

tionis fundamenta a Dn. CHRISTIANO FRIDERICO GERBERO,
Med. Doct. & Practico felicissimo, sibi tradita fuisse, grata
mente testatur.

Iactis sic feliciter studiorum fundamentis ad Salanam
nostram abiit, & t. t. Prorectore Magnifico, D. Io. FRAN-
CISCO BVDDEO, Prof. Theol. Publ. anno MD CCVIII. die
I. Octobris in numerum studiosorum receptus studia sibi
necessaria tractauit sedulo.

In re literaria ducem habuit Dn. M. BARTHOL. CHRIS-
TIANVM RICHARDVM, Bibliothecæ Præfectum, vbi notitiam
tam Scriptorum, qui ultimis tribus seculis vixerunt, quam
rerum curiosarum Bibliothecæ Salanæ acquisiuit.

In Physicis Excellentissimum GEORGIVM ALBERTVM
HAMBERGERVM, Philosoph. Natural. & Mathes. Prof. Publ.
celeberrimum, publice Doctrinam de Motu, de Anima-
tis, & de Homine, vt & Physicam Erotematicam Sturmianam,
priuatim Physicam Sturmii conciliatricem ex-
ponentem, audiuit.

In Medicis D. D. GEORGII WOLFGANGI WEDELII,
Theor. P. P. Comit. Pal. Cæs. Consil. & Archiatr. Duc.
Sax. Parentis venerandi, commentationes publicas & pri-
uatas sectatus est. Publice Physiologiam acroamaticam,
Pathologiam Synopticam, Semioticam, Methodum tuen-
dæ sanitatis & Methodum medendi percepit: priuatim
Collegio Institutionum cum demonstratione suppellecti-
lis librarii, Exercitio Chimico, Cursui medico, vbi
denuo Institutiones & Chimia, hinc & Materia medica
cum Demonstratione Simplicium, Methodus præscribendi
formulas & Praxis selectior tractabantur, item Collegio
Clinico de Morbis infimi ventris, vt & Librario, de nouo
instituto, interfuit.

Non

Non minus D. D. IOANNIS HADRIANI SLEVOGTII,
Hered. in Ober-Rosla, Anat. Chir. & Botan. Prof. Publ.
Ord. & Medici Ducalis Provincialis celeberrimi, Lectiones
Botanicas & Chirurgicas publicas frequentauit, excursi-
onibus Botanicis interfuit, & trium sectionum publicarum,
quibus operationes chirurgicæ iungebantur, sedulus fuit
spectator & auditor, nec exiguos ex eiusdem collegio a-
natomico priuato percepsisse fructus, gratus fatetur.

Fratri quoque B. D. ERNESTI HENRICI WEDELI,
Prof. Publ. Extraord. & Med. Duc. Vinar. publice de Mor-
bis infantum & de Affectibus externis docentem audiuit.

Præterea D. D. SIM. PAVLI HILSCHERI manuducti-
one in collegio Anatomico-Physiologico vsus est.

Meas etiam lectiones & demonstrationes publicas de me-
dicamentis simplicibus officinalibus ad ductum Hermanni,
de vsu partium, de chirurgia & de morbis mulierum,
priuatum vero institutiones medicas, percepit, ac nuperri-
me sectioni publicæ cadaveris masculini adstitit,

His cum quinquennium impendisset, Italicas quas-
dam academias inuisere constituerat, iterque sub initium
Octobris superioris anni suscepit. Ultra Tyrolenses
autem peruenire vix poterat, ob pestem enim, quæ
tunc maximopere in Germania grassabatur, nemini Ger-
manorum licuit vterius progredi. Hinc consilium mu-
tare coactus petiit academiam Tubingensem, Altorense pri-
us, vt & olim Witebergensi, Lipsensi, Halensi & Erfur-
tensi, visa, deinde Basileensi perlustrata ad Argentinenses
peruenit, vbi per vnum alterumque mensem crebras o-
perationes chirurgicas & quotidiana exercitia anatomica
perspexit. Maxime extollit humanitatem & fauorem

fin-

* (8) *

singularem, quem hic illic expertus est, virorum celeberrimorum, Schröckii, Camerarii, Zelleri, Königii, Zwingeri, Scheidtii, Salzmanni, aliorumque.

Huc itaque mense Martio reuersus, probe maturatis studiis, nuper modeste, ut candidatis adnumeraretur, petit. Exploratis & cognitis profectibus laudandis receperunt & admissus ex merito aditum ad cathedram publicam impetravit, quam sub praesidio venerandi parentis concendet habiturus dissertationem ante laudatam.

Huic actui solenni ut Magnificus Proreector, Proores Academiæ Excellentissimi & Hospites omnium ordinum honoratissimi splendidam & benevolam præsentiam concedere velint, peroffciose & amice invito atque
sogo. P. P. sub sigillo Facultatis Ienz
M DCC XIV. D. I. Iul.



00 4 6318



SB

VJ
18

Retro ✓ VJ 17



S A D O L P H I D E L I I,

DIC. DOCTORIS, PROFESSORIS
ET MED. DVC. PROV. SAXO-
IENENSIS REP. PHYS.

ATIS MEDICÆ
DECANI,

Icon Inaugurale

DE
VENÆ SVBCLA-
VI THORACICO
POSITA.

I E N Æ,
RIS KRÆBSIANIS.